

dumque suorum successoribus aprobare, ratificare et nostro dignaremur patenti regalique priuilegio confirmare. Ideo nos ultra beneuolentiam nostram regiam, quam sibi pro suis meritis grata libertate gerimus, visis, auditis et diligenter intellectis Iuribus suis, Inclinatique iustis requisicionibus suis, attendentesque fidelitates et seruiciorum merita graciosas, per eum nostro culmini exhibita, Insulam suam Veglensem, Civitatem, Castrum, villam, siluas, nemora, portus, maritimas salinas, scopulos, vocatos videlicet peruich, plasnich et almis, cum illorum pertinencijs, Juraque patronatus ecclesiarum, nostra Regia auctoritate perpetuo ipsi Magnifico viro Comiti Nicolao predicto, suisque heredibus ac heredum successoribus approbamus, ratificamus ac relinquimus pacifice possidere, habere et tenere pleno iure et cum omni Integritate. In cuius rei memoriam perpetuam presentes concessimus litteras has nostras priuilegiales, pendentis autentici sigilli nostri dupplicis, quo videlicet vt Rex hungarie utimur, munimine roboratas. Datum per manus Reuerendi in Christo Patris domini Eberhardi, Episcopi Zagrabiensis, aule nostre Maiestatis summi Cancellarij, fidelis nostri grate dilecti. Anno domini Millesimo Quadringentesimo duodecimo, Kalendis Nouembris, Regnorum autem nostrorum Anno, hungarie etc. XXVI., Romanorum vero tercio.

Orig. membrana in Archivo Regni Croatiae. Fasc. 1646. Nr. 4. — Habet quoque Kerčelić in „Notitiis Prael.“ pag. 209, ast erronee.

CXXXI.

Circa Annum 1416—1418.

Constitutiones Nobilium Regni Slavoniae, in generali Congregatione latae, a Hermano Comite Ciliae et Zagoriae Regni Slavoniae Bano, confirmantur.

Nos Hermanus, Cilye, Zegurieque Comes etc. et Regni Sclauonie Banus, Memorie comendamus, quod cum post recessum Serenissimi Principis domini nostri Regis Sigismundi de hoc Regno suo Hungarie facto, multe et diuerserix, discordie, discessiones, hominum interemptiones, spoliationes, latrocinia, furticia, combustiones, depredationes, et occupationes possessionum indefinite quasi die noctuque, exclusiones etiam nobilium de eorum domibus propriis cum receptionibus honorum ac rerum eorundem vniversarum, ac etiam litterarum Instrumentorum, confractiones et spoliationes ecclesiarum et claustrorum, ymmo etiam expugnationes et receptiones Castellorum, aliaque et diuersa multorum et quasi